MAGNUM LEGENDARIUM AUSTRIACUM (PARS I)

Heiligenkreuz, 1183/1200

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30277
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

aliquod indicium inuenire poterat. Ergo qui ista non credis. uere ut dico esse ita uade et fac tibi fidem. uestem hanc illic inuenies. uide et laudes deo referre memento. ne obliuiscaris mane stelle maris cuius donis non priuatur quisquis ei deuote famulatur. ipsi et eius nato honor laus et uirtus in secula. Amen.

De quodam monacho.

Quam dulcis et quam pia sit sancta Maria domini nostri ihesu christi mater erga eos qui eam diligunt et uenerantur. et in quantum possunt eius auxilium et gratiam semper requirunt. ex quadam re que quondam accidit aperte potest intelligi. Prior enim certesie uir uenerabilis Lericus nomine in hoc quod scribo retulit. et quod refero se uidisse et audisse asseruit. Quidam monachus fuit westmonasterio Leuricus nomine. qui abbatiam certesie dum abbatia sine rectore esset. multis modis ut illam haberet quesiuit. Sed hoc totum absque uoluntate sui abbatis fiebat. omniumque monachorum eiusdem loci. Sed quamuis hi omnes uoluissent contrarium eius esse uoluntati. tamen per uirtutem regis qui tunc temporis regnauit ibi positus est. Postquam autem rex cognouit quod abbati suo et monachis eiusdem loci displicebat. eum de eodem loco abstulit. et misit eum ad aliam abbatiam que longe ab eodem loco distabat. et ibi aliquamdiu mansit. Postea uero rediit ad locum certesie et iterum ibi manere cepit. Non multo uero tempore postquam ibi reuersus est inuasit eum quedam grauis infirmitas qua et mortuus est. Quamuis autem iste Leuricus fere in cunctis que agebat ualde esset reprehensibilis. tamen sanctam Mariam multum diligebat. sepius quoque in eius ueneratione bis uel ter in ebdomada missam celebrabat. Cum autem ab eadem infirmitate que eum ceperat uehementer esset afflictus. morique timeret. mandauit suo abbati. ut ad eum uenire dignaretur. eumque sibi antequam moreretur reconciliaret. timens ne si antequam reconciliatus fuisset moreretur. propter peccata sua dampnaretur. Hac itaque infirmitate grauatus dum se huc illucque uerteret in loco ubi iacebat nesciens quid potissimum faceret quod eum adiuuaret. rogauit monachos qui ibi erant. ut pro dei amore et sancta karitate ei misericordiam facerent. et euntes in monasterio pro eius angustiis dei misericordiam et sanctam Mariam matrem misericordie exorarent. quatenus ei subueniret. et animam eius a penis quas timebat liberaret. Interim dum suum abbatem expectaret. et fratres letanias et orationes pro eo facerent loquelam amisit. et obmutuit. similisque mortuo fuit. Monachi uero qui in monasterio erant et pro eo orationes ibi faciebant ut hoc audierunt. statim ad eum cucurrerunt tristes et dolentes. quod antequam moreretur unctus fuisset. et communionem corporis et sanguinis domini non percepisset. Cum itaque ante eum stetissent uidissentque quia omnino nichil loqui poterat. sed sicut mortuus iacebat. ignorabant quid ei facerent. Cepit eger interim spumam non modicam emittere. subitoque respirans sese plangere cepit. manu contracta dicere. Domina sancta Maria domina sancta Maria gratias tibi ago. de hoc quod me in hac die liberatum habes quod ego dampnationem quam promerueram non incurri. que dampnatio cicius aduenisset mihi. nisi tua miseratio tuumque auxilium promptius succurrisset. Domina sancta Maria gratias immensas tibi refero. quia hodie filium tuum dominum nostrum pro me rogasti. quatinus eius corpus et sanguinem dignus essem accipere. et gratiam quam christianus debet habere non amitterem. Post hec uerba rogauit priorem et ceteros fratres qui ibi aderant. ut quam cicius possent corpus et sanguinem domini afferrent eumque communicarent. Cum itaque sacra communio corporis et sanguinis christi sicut rogauerat ante eum allata fuisset. cepit cum lacrimis dicere se ueraciter corde credere et ore confiteri. quod hoc corpus ueraciter esset domini quod de uirgine sumpsit. et pro peccatoribus in cruce pependit. et sanguis qui de latere eius fluxit. Deinde communicatus est sicut rogauerat. Quo peracto. ut oleo sancto ungeretur obtinuit. His autem omnibus peractis. confessione facta fratres salutauit. et ab eis benedictus indulgentiam accepit. impositusque ut mos est cilicio letus et hilaris spiritum reddidit. Cuius animam ut credimus sancta et piissima uirgo Maria quam semper inclamauit suscepit. et in beata requie collocauit. Sepelierunt deinde eum in suo capitulo benedicentes dominum. eiusque genitricem sanctam Mariam. que ei tantam gratiam a domino misericordia impetrauit. Quam gratiam ipse dominus noster nobis concedere intercessione ipsius matris dignetur. Qui uiuit et regnat.

De quodam sacrista.

In Gallica regione burgundionum finibus res gesta esse perhibetur. quam narrare uolo. Fuit in illa regione congregatio monachorum districte sub regulari norma degens. cui preerat abbas uir prudens et insignis uite. exhibensque sese dignum tali appellatione quia gregi commisso plus prodesse studebat quam